



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Pectus hominis vivarium ferarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

de benef. Inſita ſunt nobis omnium ætatum, omniumque artium femina, magiſterque ex occulto Deus producit ingenia. Hic mihi occurrit, quod de Platone meminit Plutarchus in Mario, qui dicebat, ſe naturæ gratias agere, quod homo natus eſſet, non murum animal: quod mas, non femina: quod Græcus, non barbarus: quod Athenienſis, non Thebanus: quod temporibus Socratis. Potuiſſet addere, ſe Aurori naturæ gratias debere, quod animam fortitus eſſet bonam, hoc eſt, ingenium docile, acutum, ad ſapientiæ hauſtus excipiendos natum & factum; non tardum, ſtupidum, ſtolidum, fatuum, ſolis plagis emendandum. Ingenioſi ſigna ex Ariſtotele ſunt: Caro mollis, cutis ſubtilis, ſtatura mediocris, oculi cœrulei, fulvi, color candidus, capilli molliores, longiores manus & digiti, mitis aſpectus, ſupercilia conjuncta, modicus riſus, frons exporrecta, tempora modicè concava, caput in figuram mallei ex lato in acutum deſinentis, concinnatum. E contrario hebetis figura eſt, carnoſa frons, collum, brachia, facies, lumbi, coſtæ, pectus: occiput cavum aut rotundum, nec extans ullo modo, oculus pallidus, articuli puſilli, nares obſtructæ, parvæ, arrectæ, riſus multus, manus breves, latæ oculorum pupillæ, caput enorme, aut nimis exile, naſi inum craſſum, mandibulæ magnæ.

III. (c) Ingenioſè Venuſinus Vires varias animalium particulas hominis compositioni admiscet; nam ut quidam recentiorum Poëtarum ſcribit, Vivarium ferarum eſt pectus hominis, frementium in Appetentiæ ſede. *Delectatio* Siren, *Dolor* Hyena, uno, eodemque ſtabulo clauduntur. Mugit *Amor* Europam portans cum tauris: rugit *Ira* cum leonibus: *Audacia* tigrides antevolat: *Philomela*, *Spes* bona dulcè canit: ſed *Deſperatio* latrat inſtar moloſſi in rabiem acti: ululant mœſti *Timores*. Et verò cum, qui à virtute deſſectit, in tot beſtias, quot pravas libidines ſequitur, transformari, jam olim SS. PP. docuerunt. Inter quos D. Chryſoſt. hom. 4. in Matth. An hominem, inquit, agnoſcam, qui ut aſinus calcitrat: ut ſalaciſſimus equus in feminam hinnit; ut urſus voracitati ſtudet: ut mulus corpus ſaginat; ut camelus injuriarum memoriã retinet; ut leo irafcitur; ut lupus rapit; ut ſcorpionem ferit; ut vulpes ſubdoluſ eſt; ut nequitie venenum tanquam aſpis & viperæ ſervat? Quod ad eruditionem historicam attinet, putat Iſidorus fabulam hanc ab origine idololorum profluxiſſe, quæ primitus hominum figurâ fabricari cœpta, cum eſſent inania ſimulacra, quaſi animari ſunt viſa, poſtquam dæmones ex ijs reſponſa dederunt.

D

IV. Non

(c) Pectus hominis Vivarium ferarum.